



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XII. Gregorii Papae I. Ad Chrysanthvm Episcopvm Spoletanvm. De reliquiis collocandis in ecclesia sanctae Mariae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

tum tenete. Sicut enim obstinati esse humilibus non debemus, ita districti existere superbis debemus. Vestra ergo fraternitas sicut in scripturæ sacræ paginis didicit, quidquid iustum perpenderit, in eius negotio decernat.

EPISTOLA XI.

GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM SVRRENTINVM, AGNELLMVM, &c.

De reliquiis concedendis Gregorio expræfecto.

*Gregorius Ioanni episcopo Surrentino, Agnello episcopo Tarracinen-
si, Felici episcopo Portuensi, Fortunato episcopo Neapolis,
Primerio episcopo Nucerinæ, Glorioso episcopo
Ostiensis, Aluino episcopo Forminæ.*

GLORIOSVS filius noster Gregorius expræfectus sanctuaria beatorum martyrum in diocesis vestræ locis quiescentium sibi postulat debere concedi, in quorum honorem basilicam propriis sumptibus ædificari desiderat. Et ideo, fratres carissimi, præfati viri desideriis ex nostra vos præceptione conuenit obedire, ut deuotionis suæ in consecratione quam postulat potiatur effectu.

Mense Nouembri, indictione secunda.

EPISTOLA XII.

GREGORII PAPÆ I.

AD CHRYSANTHVM EPISCOPVM SPOLETANVM.

De reliquiis collocandis in ecclesia sanctæ Mariæ.

Gregorius Chrysantho episcopo Spoletano.

PAVLVS ecclesiæ Reatinæ diaconus petitoria nobis insinuatione poposcit, ut ad fontes in basilica beatæ Mariæ semper Virginis genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi, quæ est intra ciuitatem Reatinam posita, reliquiæ beatorum martyrum Hermetis & Hyacinthi & Maximi debeant collocari. Et ideo, frater carissime, si in eodem loco nullum corpus constat humatum, sanctuaria prædictorum martyrum cum reuerentia sine ambiguitate suscepta diligenter consecrabis.